

furorem declinare : Deinde Christus alto confilio subtecto loquitur, vt eius cognitio esset abscondita, nam si esset manifesta, impediretur passio, ac redemptio generis humani, sic ait Paulus 1. Corinth. 2. num.8. Si enim cognouissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent. Vnde inquit D. Augustinus tract. 40. in Ioann. Differo cognitionem meam, vt impleam passionem meam.

QUESTIO IX.

Quomodo sit explicandum, Principium, in textu iuxta radicem Latinam, Græcam, ac Hebraicam.

INTERROGATVS Christus Dominus à Iudæis, quis esset, ait eis: Principium, qui & loquor vobis. Quæ sententia multas inuoluit difficultates, propter varias lectiones huius loci, ac diuersas Patrum, & Doctorum interpretationes.

Primò D. Augustinus lib. 1. de Genes. ad Liter. cap. 5. & lib. 5. de Trinitat. cap. 13. & lib. 11. confessio. cap. 8. D. Ambros. lib. 6. Hexamer. cap. 2. & 4. D. Fulgent. lib. 2. ad Thrasim. D. Prosper in Psalm. 109. D. Bernard. lib. 5. de Considerat. Simon Cassian. Rupert. Albert. Magn. Lyran. Carthusian. Hugo, & alij explicant. Queritis me, quis sum, dico vobis, quod ego sum principium rerum vniuersarum, ac Deus, qui vos ac cætera omnia condidi. Sic dicitur Christus Alpha, & Omega, principium, & finis. Apocalyp. 1. num. 8. Qui est principium creature Dei. cap. 13. num. 14. Ipse est caput corporis Ecclesia, qui est primogenitus ex mortuis. Ad Colossens. 1. num. 18. Dicitur diuinum Verbum principium omnium rerum, quia per ipsum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil. Ioann. 1. num. 5. De quo latè ibi egi. Accipe Glossam in hoc cap. 8. Ioan. Pater, ait, est principium, non de principio: filius est principium à principio, id est à Patre, qui omnia per filium operatus est. Ipse est enim manus dextera fortitudo, sapientia, & Verbum Patris. Sicut enim artifex omnia per artem, & sapientiam operatur, ita Pater per filium omnia producit; ex quo patet, quod conuenientius dicitur Pater operari per Verbum, cum sit eius sapientia, quam per Spiritum sanctum, qui est amor: de quo egi tomo 1. lib. 1. cap. 1. quæstione 23.

Secundò, & tota difficultas est. Quia in Græco Principium est in accusatio, ita habet Textus Græcus, & legunt D. Chrylostom. Leont. Theophylact. Euthym. Ad quod D. Augustin. tract. 38. in Ioan. D. Ambrosius, D. Thomas, D. Bonauent. & alij, vt se expediant ab hac difficultate. addunt Credite; & sic explicant, credite me esse principium, qui loquor vobis. Hæc expositio addit textui illud credite, quod non est in ipso.

Aptius ergo legendum est iuxta radicem Græcam, cum propositione, iuxta principium, vel à principio, id est ab æterno, Deus verus de Deo vero antequam Abraham fieret, vt ipse explicat num. 58. sic etiam ex radice Hebraica legitur à principio. Psalm. 92. num. 2. à seculo tu es: ex Hebraeo legitur, ab initio tu es, ita explicant hanc difficultatem communiter Recentiores, To-

letus, Lucas Burgenf. Barradas, Cornelius à Lapide, & alij.

Nonius Poëta, Varabl. Maldonatus, sic vertunt, & rem expendunt, à principio. Id est. Ego sum ille, qui à principio vobis loquor, & prædico, me scilicet esse vestrum Messiam promissum, quem ex mea doctrina, & mea loquela cognoscere potuissetis, sic explanatur lectio Syriaca. Etiam id, quod in capiloqui vobis. Et Varabl. Principio, vel in primis, quod & loquor vobis. Quod ipse sic se explicat, quod omnino hoc ipsum sum, quod à principio dixi, videlicet Lux mundi, omnium salus, & subintelligitur, & non creditis mihi; tamen hic dicendi modus videtur insolitus, & non multum coherens cum interrogatione

Isidorus Clarus, Iansenius, & alij; Cum consequentibus coniungunt, & sic construunt. In primis. Seu ante omnia, quia loquor vobis, & subauditur. Non creditis mihi. Et tunc sequitur, propterea multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Hæc sententia multa addit textui, & nil facit ad quæstionem Phariseorum, qui quærebant tu qui es?

Aliqui legunt ex Græco, non principium, sed principatum. Et tunc est sensus, ego sum principium, cui competit Dominium, ac imperium, principatus totius vniuersi, ac omnium rerum, & tunc videtur allusio fieri ad id, quod dicitur Psalm. 109. num. 8. Tecum principium, Græcus principatus in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum. Et 1. Genes. 1. In principio creauit Deus. Legit Tertullian. In principatu.

QUESTIO X.

Quare interrogationi Iudeorum respondit Christus se esse principium?

RESPONDENT primò D. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 14. Ex hoc, ait, Deum se probauit æternum, quia omnium ipse principium est, & vniuscuiusque virtutis auctor est. & D. August. lib. 1. de Genes. ad liter. cap. 5. Principium, ait, creatura intellectualis est æterna sapientia; ideoque rogatus Dominus, quis esset, respondit. Principium qui loquor vobis. Dixerat Dominus de se. Ego sum, scilicet qui sum, quod est nomen proprium Dei, cum interrogaretur à Iudæis, vt magis se explicaret, quis esset, ait principium, se nempe Deum verum, ac omnium auctorem demonstrans; nam per sapientiam condita sunt vniuersa, vt explicauit superiori quæst. in prima sententia, sicque suam diuinam essentiam per beneficentiam declarat, qua maximè homines deuincat, ac ad se allicit.

Secundò. Christus dicitur principium tanquam quid valde manifestum in Scriptura, & videtur fieri allusio ad id, quod 1. Genes. 1. dicitur: In principio creauit Deus. D. Bruno serm. 1. de Trinitat. In principio, inquit, fecit Deus calum, & terram, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, conueniens forte fuerat, vt nomen Patris prius poneretur, qui vbiq; maximè ab ipso filio honoratur. Sed noluit hoc Moyses, imò Spiritus sanctus, qui loquebatur in Moysè, sed primum nomen filij posuit, ne quaerendo erraret Iudæus. Cum dicitur in principio creauit

Barradas, Cornel.

77. Nonius. Vatabl. Maldonat.

78. Ifid. Clar. Iansen.

79.

Psalm. 109.

Genes. 1. Græcus.

80. Ambros.

August.

Beneficentia maximè allicit.

81. Genes. 1. Bruno.

creauit Deus, id est in filio creauit Deus; vt legit D. Hilarius; seu in sapientia creauit, vt habet Origenes, creauit Deus, id est Pater, sed cur non solum ante vniuersi historiam, aut ante Spiritum sanctum, imò etiam ante Patrem Deum prima voce filius significatur? Pater æternus prior est origine filio, cur ergo saltem eum non nominat ante filium Moyses? Ideo in prima voce filius intelligitur, vt inde maximè comprobetur, quam patens sit ipse in Scriptura, vt nec Iudæus, nec infidelis quaerat errando, cum ipse tam facile inueniatur, vt statim in primo limine, in primo verbo se ante omnium oculos obiciat.

82. Tertio. Idem Bruno Carthusian. citato serm. 1. de Trinitat. Idem ergo per Verbum, ait, & principium significatur. Sed nobis verbum vocari debuit, qui docibiles sumus, qui ipsius verbum, & doctrinam audire, & discere parati sumus. Illis vero certe debuit vocari principium, qui eum principium esse non credebant. Valde mirum quod loquens Christus cum incredulis Iudæis se principium appellat; at verò cum suis fidelibus proponitur, dicitur Verbum. In principio erat Verbum. Ioan. 1. num. 1. Illis cum essent increduli, dicitur principium, vt eius maiestate deuicti cum vt Deum recognoscant; nobis verò, qui sumus eius discipuli, dicitur Verbum, siquidem eius salutiferis verbis edocti, eum vt magistrum, ac Doctorem vitæ habemus.

83. Quarto. Dixerat Christus Dominus de se, Ego sum. Scilicet qui sum, nempe verus Deus interrogatus à Phariseis, quis esset, ait. Principium, scilicet totius vniuersi, ac omnium rerum, cur non potius explicat suam essentiam per sua excellentissima attributa immensitatis, infinitatis, ac incomprehensibilitatis, cur nihil aliud dicit de se, nisi quod sit principium, ac auctor omnium rerum? Qui loquor vobis. Tam peculiariter æstimat Deus suam beneficentiam, ac largitatem erga homines, vt magis per ipsam, quam per quæcumque alia attributa, supereminentiam, ac excellentiam suæ essentia, nobis aperire, ac declarare noluerit. Quintò ait. Principium, qui loquor vobis. ac si ex vno beneficio ad aliud induceretur, ex eo enim quod ipse esset principium, ac auctor omnium rerum mouebatur, vt suas creaturas per suam loquelam, ac doctrinam doceret, ac illuminaret.

84. Sextò. Dicitur Christus principium; ex hoc instrumur, vt ad ipsum, tanquam omnium principium, & finem omnia nostra referamus, eique omnia nobis data offeramus, pro cunctisque gratias exhibeamus. Concepto Æterno Verbo, cum visitaret factatissima Virgo Elizabeth multis comiis ab ipsa extollitur. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini ad me. Luc. 1. num. 42. Quibus minimè Virgo acquieuit, nec consanguineam pro tantis proclamationibus gratulatur, sed tota ad Deum intenta eius laudes celebrat, & decantat. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo saluari meo. Vbi perbelte Nicolaus de Lyra. O Elisabeth tu me magnificas: sed ego totum Deo attribuens ipsum magnificatio in hoc crimine. Virgo laudata statim in creatotis enigma prorumpit, cui nempe omne sui decus, & honorem adscribi cupit.

85. Morituras Iacob à filio suo Ioseph vehementer expostulat, vt eum non sepeliat in Ægypto, sed in terra Chanaan cum patribus suis Abraham, &

Isaac, quod cum promississet Ioseph, promissumque iuramento confirmasset, Adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput. Genes. 47. num. 31. Quisnam pater multis beneuolentiæ signis filium non profeceretur pro tanto obsequio sibi cum iuramento stipulato, tamen ne verbum vnum haberet erga filium, sed totus conuersus ad lectuli caput Deum adorat agnouerat bonus senex, quod prima radix, & fons tanti doni, non erat Ioseph, sed Deus, à quo omne nostrum bonum descendit, & ideo non Ioseph, sed Deo vitpote primò auctori vniuersa gratulatur; Caietan. Senex, ait, in lectulo iacens super caput lectuli se incruauit, gratias agens Deo. Vide de hac re multa tom. 3. cap. 27. quæst. 9. num. 56. 57. 58. & alia ibi loca citata.

86. Ioann. 8. n. 28. Dixit ergo eis Iesus: cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor.

Num. 19. Et qui me misit, mecum est, & non relinquit me solum: quia quæ placita sunt ei, facio semper.

Num. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Cum extuleritis filium hominis, tunc cognoscetis mecum esse, nihilque ex voluntate mei ipsius facere, sed sicut docuis me Pater meus, similiter ipse loquor.

Num. 19. Neque relinquit me solum Pater meus: quoniam ego quod gratum est ei, facio semper.

EXPOSITIO VIII.

DIXIT ergo eis Iesus. Non intellexerunt Pharisei superiora Doctini verba. Ego sum, scilicet qui sum. Ego sum principium. Tunc subdit eis Dominus. Cum exaltaueritis filium hominis. Id est, cum me in cruce affixeritis. Præclare notat Lyphius lib. 1. de cruce cap. 3. & 4. & lib. 2. cap. 5. Quod nunquam apud veteres de cruce agentes talis modus loquendi per exaltationem reperitur, quo Christus suam crucis mortem significauit, nam talis loquutio significat honorem, & non ignominiam, vt omnis crux apud veteres denotabat, & rectè Christus suam crucem dicit exaltationem, fuit enim eius eximius decor. D. August. tract. 40. in Ioan. Exaltationem, ait, dicit passionis, non glorificationis: Crucis, non cali: quia & ibi exaltatus est, quando pependit in ligno. Ad Philip. 2. num. 9.

Genes. 47.

Omne bonum à Deo.

86.

Lyphius. Christus non modo loquitur de sua cruce.

August.

Ad Philip. 2. num. 9.

1. Corinth. 2.

August.

73.

74. August. Ambros. Fulgent. Prosper. Bernard. Cassian. Rupertus. Alb. Magu. Lyran. Carthus.

Apocal. 1. Apocal. 3.

Colossens. 1.

Ioan. 1. Glossa.

Verbum principium omnium.

75.

Græc. Chrylost. Leontius. Theophyl. Euthym. August. Ambros. D. Thom. Bonauent.

76.

Legitima explanatio.

Psalm. 92.

Toler. Luc. Burg.

num. 9. *filium hominis*. Modestia causa tantam exaltationem suam in cruce per tertiam personam loquitur. *Tunc cognoscetis*. Ex multitudine signorum in mea morte sol obscuratus est, terra tremuit, petra scissa sunt, tunc etiam ex mea Resurrectione, & Ascensione; de quo quaest. sequenti. *Quia ego sum*, verus filius Dei, ut interpretantur D. Chrysostr. D. Augustin. D. Cyrillus in catena Graeca, D. Thomas, Euthymius. *Tanquam Deus dixit ego sum*. Beda. *Quid est ego sum*, ait, nisi *unius substantia cum Patre*, sicut ad Moysen dictum est, *ego sum, qui sum*. Verbo substantiali dicitur de seipso Dominus, ut intelligatur, aeternam esse substantiam, & unam esse substantiam Patris, & Filii. Vel cognoscetis, quod ego sum verus Messias in lege promissus.

Et à me ipso facio nihil. Pergit Dominus, ut ait Toletus, explicare, quae post ipsius exaltationem reuelanda erant; & totum, ut ait Chrysostr. homil. 52. propter Patris reuerentiam, & in eum refert: tum etiam propter maiorem suae doctrinae auctoritatem. Significatque doctrinam, & opera sua esse diuina, & tam à Deo Patre, quam à se Deo, & homine profecta; à me ipso facio nihil; nam sicut filius Dei à Patre habet communicatam essentiam, sic & potentiam ad faciendum. Et sicut me docuit Pater, haec loquitur. Cognoscetis me ita loqui, sicut me docet Pater, nam à Patre habeo communicatam sapientiam, per quam loquor, & docet D. Augustinus, hoc est, inquit, docuit me Pater, quod est scientem me genuit Pater.

Et qui me misit mecum est. Haec addidit Dominus, ut notantur D. Chrysostr. Euthym. Theophylact. Albert. Magn. D. Bonavent. Carthusian. Ne quis existimaret eum minorem Patre, quem docentem dixerat, neque separatam à Patre, sicut inter homines legatus est disiunctus, ac separatus à mittente. *Quis misit me*. Per Incarnationem. Nam ut ait D. Augustin. *Misio Incarnatio est*, & ipsa incarnatio filii est tantum, & non Patris. Et sic dicitur filius missus à Patre. *Mecum est*: Non solum per eandem numero Deitatis essentiam, voluntatem, & potentiam, ut communiter hinc explicant sancti Patres, sed etiam per peculiarem prouidentiam, & gubernationem, qua Deus dirigit, & gubernat humanitatem ab eo assumptam, ad omne opus, quod fiebat, ita ut vniuersa Christi opera essent excellentissima, & valde perfecta, ac diuina. Ita docent hic Euthym. & Rupertus, & D. Cyprian. lib. de Cardinalib. Christi operibus cap. de seium. & D. Thom. in 3. dist. 12. quaest. 2. art. 1. & alij multi Patres apud Suarez tom. 1. ad 3. part. disp. 33. sect. 2. §. quae ratio. Vasquez 3. parte disp. 51. cap. 3. *Et non relinquit me solum*. Non solum quatenus Deus filius non potest deserere, aut separari à Deo Patre, sed etiam propterea homo nunquam deseretur, aut separabitur, nam humana natura semel à filio Dei assumpta, nunquam dimittetur ab eo. *Quia ego quae placita, seu grata sunt, facio semper*, non aliquando, sed semper. Sicque ab effectu probat Christus, se à Patre non deserere, ex eo quia, quae placita sunt ei, facit semper. Qui autem à Deo deseritur, nil recte agit. Exclamat in praesenti D. Ignat. Epistol. 14. *igitur*, ait, & nos oportet vivere iuxta voluntatem Dei in Christo, & eum sectari. Ut caput nostrum imitemur.

Hac illo loquente. Altissimam, & profundam doctrinam tradiderat Dominus, & tamen non propter signa, sed propter ipsa verba. Multi

Chrysostr.
Augustin.
Cyrill.
D. Thom.
Euthym.
Beda.

87.
Tolet.
Chrysostr.

August.

88.
Chrysostr.
Euthym.
Theophyl.
Alb. Magn.
Bonavent.
Carthusian.

August.

Euthym.
Ruperr.
Cyprian.
D. Thom.
Suar.
Vasq.

Ignat.

89.

crediderunt in eum. Multi ex simplici turba, patet verò ex superbis Pharisaeis, crediderunt, tum conuicti pondere rationum, tum etiam commoti efficacia diuini verbi, ac tandem allecti gratia, & spiritu eius sermonum; vnde proclamabant *unquam sic locutus est homo*.

QUESTIO XI.

Quare Christus ait, quod eius exaltatio in cruce erit signum, & nota ad eius diuinitatem cognoscendam?

MALDE ignominiosa, ac contumeliosa erat crux apud antiquos. Vnde ait D. Paulus ad Galat. 3. num. 13. *Maledictus homo qui pendet in ligno*: id est valde execrabilis est, qui tali morte afficitur. Quomodo ergo Christus Dominus suam crucifixionem dicat exaltationem, commodius explicabo infra cap. 43. In praesenti tantum inquirimus, quomodo eius crucifixio extiterit signum, & nota ut homines eius diuinitatem cognoscerent.

Respondet primò. D. Chrysostr. homil. 52. *Quando exaltaueritis filium hominis, nomen vos tunc maxime fore putatis, ut me sublato liber agatis, tunc me nihil metuentes? Ego autem dico, quod tunc maxime scietis, quia ego sum: & per signa, & resurrectionem, & captiuitatem, & quae omnia sufficientia erant eius virtutem demonstrare*. Idem docent Ammonius, D. Cyrillus, Leont. Euthym. Theophylact. Beda, Rupertus, & alij: Cum Christus Dominus actus est in cruce, maxime eius diuinitas est manifestata ex euentu rei à se praedicto, ut pronuntiatum fuit ab eo in signo Ionae Prophetae. Matth. 12. num. 40. Et cum Dominus esset in cruce, sol obscuratus est, & tenebrae factae sunt super vniuersam terram, & terra tremuit, petraeque scissae sunt, & tunc qui aderant. *Videntes, quae fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur*. Luc. 23. num. 48. Et Centurio, qui ex aduerso stabat; scilicet crucis, videns quia sic clamans expirasset, ait: *verè hic homo filius Dei erat*. Marc. 15. num. 39. In Resurrectione, ut ait Chrysostr. Viderunt, quod per mortem nihil est passus, sed quod gloriosus triumphator exurrexit. Vnde post datum Spiritum sanctum victi Apostolorum miraculis, ac doctrina vno die ter, alio quinque mille homines in Christum crediderunt. Act. 2. num. 41.

Et etiam Iudaei Christum cognouerunt ob magnam captiuitatem, & supplicium in eos illatum à Tito Vespasiano: ut testatur Iosephus lib. 7. c. 17. & ab Adriano Imperatore obsidente ciuitatem. *Better*, ut refert Galatin. lib. 4. cap. 21. & etiam à Constantino Magno, ut ait Chrysostr. tract. 2. aduersus Iudaeos. Vnde ipsi sui sceleris conscij praclamabant semetipsos tantis castigationibus vexari ob mortem filij Dei ab illis iniuste inflatam, perbelle, ait Hugo. *Ut quem curari nolueris agnoscere, cruciati sciat*.

Secundò. D. Augustin. tract. 40. in Ioan. *Tunc cognoscetis, quia ego sum, Quare hoc*, ait, *nisi ut nemo desperet in quocumque scelere male sibi conscius, quando videat eis donari homicidium, qui occiderunt Christum*. Idem etiam docent D. Thomas, D. Bonaventura, & alij. Hoc nobis ingerit magnam fidu

90.

Galat. 3.

91.
Chrysostr.

Ammon.
Cyrill.
Leontius.
Euthym.
Theophyl.
Beda.
Ruperr.
Signa in passione Deum demonstrarunt.

Marth. 12.
Luc. 23.

Marc. 15.

Act. 2.

92.
Ioseph.

Galatin.
Chrysostr.
Cruciatum aperium in intellectu.

Hugo.

93.

August.
Nullus de graui peccato desperet.
D. Thom.
Bonavent.

fidu

fiduciam, & spem; ait Christus: *Cum exaltaueritis, tunc cognoscetis*, cum qui eum exaltauerunt, ac crucifixerunt, tantum facinus dimittat, eisque suam fidem, ac cognitionem praebet.

Tertio. Ipsa patientia, ac tolerantia in tantisque pressuris, eum non purum hominem, sed hominem Deum aperte demonstrabant, ac agnosceere faciebant, & quem ex tot, tantisque miraculis Deum non agnouerant, ex tanta patientia in Cruce eum Deum fateri compellebantur. Tertul. lib. de Patientia cap. 2. *Despuitur*, ait, *verberatur, deridetur, sedis vestitur, sedioribus coronatur. Mira equanimitatis fides, qui hominis figura propositus latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisaei Dominum agnosceere debuissent, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret*.

Quarto. Dixerat Dominus in hac concione sup. n. 24. *Ego sum*, scilicet *qui sum*, quod est nomen proprium Dei, & tamen eum non agnouerunt; deinde de se dixerat n. 25. se esse vniuersorum principium, principium, qui & loquitur vobis, & cum non agnouerunt; modò ait, *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*. Per proprium Deitatis nomen; & per id quod esset totius vniuersi auctor, non agnouerunt eius Deitatem, ac maiestatem, & per crucem, & passionem, quae erat valde ignominiosa, agnoscent. *Tunc cognoscetis*: Maiores diuinitatis radios nobis praebet, ac communicauit mors, passio, ac crux Christi, quam totius vniuersi opificium, ac ipsius proprium Deitatis nomen, *Ego sum, qui sum*. Vnde merito Ioannes Aurelian. lib. 2. de cultu imag. ex D. Chrysostr. sic de cruce scribit. *Sola Christi crux est, quae dissoluit tenebras, & regnum Demonis dissipauit, Crux nobis sol iustitia facta est; cruxque caecorum dux est*.

De Aeterno Verbo loquens Ioan. ait. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*. 1. num. 10. Erat in mundo Dei filius, tanquam illius auctor, & fabricator, & tamen mundus eum non cognouit. Postea verò subdit Euangelista. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vniuenti à Patre*, ib. n. 14. Postquàm ad nos factus homo descendit, & tunc vidimus gloriam eius, quoniam est eius haec gloria? Nisi iuxta Chrysostr. nomen eius passio, mors, & crux, & cum hac mortis, & crucis gloria, eum agnouimus, quasi vniuenti à Patre, gloriam quasi vniuenti à Patre. Quem totius orbis structura non valuit demonstrare, mortis, ac crucis gloria, quae alias videbatur valde contumeliosa eum in omnium oculis declarauit, ac manifestauit. D. Chrysostr. homil. 11. in Ioan. *Cum affixus est cruci, flagellis, & alapis cecus, & insiputus ab his, de quibus iam bene merebatur. Significum in his ipsis, quae probri, & ignominia plena esse videbantur, ipsum Verbum clarissimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit*.

Ait anima sancta: *Ascendam in palmam, & colligam fructus eius*. Cantic. 7. num. 8. per palmam crucem intelligunt D. Cyprian. de passione Christi, D. Ambros. serm. 38. D. Thomas, Hugo, & alij. multi, sed quid habet palma, ut similitudinem crucis referat, ut exinde percipiantur fructus eius, fructus scilicet passionis Christi? Pulchre Cassiodor. in Psalm. 91. *Palma*, ait, *quasi quibusdam radiis ornata distenditur. Quid vero cruce splendens? Quid radiantius? certe extremo iudicij tempore cum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen, Sylicia in Euang. Tom. IV.*

97.
Cantic. 7.
Cyprian.
Ambros.
D. Thom.
Hugo.

Cassiodor.
Psalm. 91.

94.
Patientia
Christum
Deum
demonstrat.
Tertullian.

95.

Cruz Christi
maxima re-
splendet su-
per omnia
opera eius.

Aurelian.

96.

Ioan. 1.

Chrysostr.

Cruz, & passio
faciunt
nos videre
Dei Verbum.

Chrysostr.

Matth. 24.
Cruz mirifi-
cè resplendet.

sum, & stelle cadent de caelo, tunc apparebit signum filij hominis. Matth. 24. num. 30. Ad similitudinem palmae veluti quibusdam radiis circumcingitur crux, qui adeo fulgentissimi sunt, quod quouis alia lumina obscurantur, illis crux valde mirabiliter resplendet. D. Chrysostr. homil. de cruce, & larrone. *Vidisti*, ait, *gloriam signi*, id est crucis, *solis lumen reddetur obscurum, luna non dabitur gratia, sed illud lumen radiabit, & lucebit, tanta enim lux ipsius luminis praeclarescet*. Et ideo foras in Christi morte ad tanti luminis aspectum sol suos abscondidit radios.

Ioan. 8. n. 31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei ludaeos: si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.
Num. 3. 2. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.
Num. 33. Responderunt ei: semen Abraham sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis: liberi eritis?

VERSIONES.

Grac. n. 31. Si vos persisteritis in sermone meo.
D Athan. l. de Reuera liberi eritis.
Incarnat.
Vatablus n. 32. Et intelligetis veritatem.
Syriacus n. 33. Et nunquam seruiturem cuiquam seruiuimus. Quomodo tu dicis: eritis filij ingenui?
Theophylact. Quomodo tu dicis, liberi redimemini?
Euthymius. Liberi efficiemini.

EXPOSITIO IX.

ICEBAT ergo Iesus ad eos. Illa particula, ergo, connectit haec cum superioribus, de quibus immediate superiori versu. Dixerat Euangelista. *Quod multi crediderunt in eo*. Ad hos loquitur Iesus, qui crediderunt ei. superficialiter, scilicet, ac fide imperfecta, ut docet D. Chrysostr. Leont. Euthym. Theophyl. D. Thom. D. Bonaventura, Hugo, & alij; ea enim quae Christus dixerat de suo Patre, de suaque diuinitate, ac passione non perceperunt, ut patet ex superioribus vers. 27. & 28. *Iudeos*, siue ex Iudaea proprie dicta, siue ex Galilaea. Et cum Iudaeos dicit, homines plebeios intelligit, propterea distinguuntur à principibus, sacerdotibus, & Pharisaeis. *Si vos manseritis in sermone meo*. Hoc est si perseverantes, ac constantes steteritis in mea fide, ac doctrina, cum enim agnouisset inconstantiam humanam, maxime eos ad perseverantiam exhortatur, quae opus bonum perficitur, & consummatur. *Verè discipuli mei eritis*. Euthym. *eritis*, ait, *nondum estis*. Et ait verè discipuli mei eritis. Fructuose nempe, sunt enim qui ad tempus credunt.

98.

Chrysostr.
Leont.
Euthymius.
Theophyl.
D. Thom.
Bonavent.
Hugo.

Euthym.